

### III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 63.

---

#### *Animadversiones de sapiendo.*

---

Elysium-Meum.-Die Martis 12. Sept. 1809. (Neov. 25. Aug. 1809.)

---

Sunt scioli — quivis melius penetrare cupit rem.

Videtur natura nulla prorsus ratione delectari, si homines aliorum damno cautiore reddantur; quemadmodum nobis, si lubet, ex universa historia luculente intelligere licet; vetus proin querela, de *praetensiva* hac inhumanitate absque omni cognitione naturæ & finis hominis suscitata, atque iatenta est. — Quanto homo alias propendet, & pronus est omnis generis credulitati exacte adstipulari, tanto difficiliorem se præbet in argumento sapiendi per alios. Intuitu hujus viro ceterum tractabili feritas quædam, & obstinacia propria est, quæ stuporem elicit; & prope modum videtur nihil præter, adeo plene & *exclusive* sibi reservasse, quam prærogativam proprio Marte, si jam esse debet, sapiendi. In hoc argumento homini exempla tam sordent, quam placent aliis occasionibus. — Ratio singularis hujus phenomèni ultima, altius, & ab ipsa inscrutabili *fati* abyssoreprensenda fuerit; quod, quatenus fortunæ vicibus se se manifestat, delicate molles methodos philanthropicæ educationis, atque adeo commodam & mansuetam disciplinam sapi-

endi aliorum periculo, vix ac ne vir quidem ferre potest; omnia potius ad *adgravandum* collinere, & adornata, atque ex condito in au-  
cipiti vitæ isthmo, continuo protinus Scylla in proximo rursum esse videtur, quæ ut se gaudium explicet, aut saltem diutius duret, prohibet, dum, & quando vice quadam, fortuna ne, aut casu? vorticibus cujusdam Charibdis ægre elapsi sumus.

In ipsum proprio Marte sapere homo universim parum propensus, & comparatus videtur, Respse sapiendo generatum adeo frigida & morosa inest *monotomia*, quæ pro polytonicis & mutabilibus entibus, qualia esse nobis honor obtigit, jure quidpiam abhorribile secum fert. Homo singularis, sapiens, quocunque demum modo factus, utocunque (licet semper graviter) tolerari potest quidem, quæ etiam ratio est, quod hinc inde in spatiosa turba unus latitet; at animum, quæso, subeat gens integra, aut saltem alia minor Communitas in statu sapientiæ, & jam sola idea ad oscitandum, in casu vero, quo eam mente exigere nequierimus, ad solenniter altumque dormiendum nos permovebit. —

Quis, amabo, nostra, exempli gratia: ætate, & in hodiernis adjunctis, generationeque vitam agere, & existentiam suam prosequi vellet? si ea respse & revera adeo *præ-sipiens* foret, quam posset; adeoque acuminæ & perspicacia mentis polleret, quantæ capax foret; cum ea super colossalibus tot re-  
culorum & ipiurium adhuc generationum hu-

meris repat, proin prorsus nullam rationem  
 de vilitate conditionis suæ, & adjunctis si-  
 nistris querendi habeat; quam, inquam, uni-  
 formis moestaque nostra omnis vivendi ratio,  
 adeoque domestica juxta & politica historia  
 esset? An, obsecro, in hoc casu momento-  
 sum spectaculum habere potuiffemus: novam  
 Editionem historiæ totius generis humani, pro-  
 ut in Annalibus ævi veteris viget & vivit, in-  
 tra tria quatuorque lustra supervivendi, fata-  
 que & Conversiones experiendi, super quarum  
 extraordinaria copia, singularitateque alii in  
 humeris nostris capita valide rotaturi, alii ea-  
 dem multifariam fracturi, & nihilominus pro  
 nostri juris tutamine rursus nec digito sapi-  
 entiores evasuri sunt, quam ante fuerunt?—  
 homo, ut adparet, vitam tum primum ali-  
 quantum mutat, ut ajunt, *in succum et sangui-*  
*nem*, cum sua in persona, & sibi propria ra-  
 tione vivit, qua persona & ratione edit bibit-  
 que; ex majorum suorum experienciis, eorum-  
 que salutaribus consiliis exiguum aut nullum  
 usum capit, & tradita eorum axiomata co-  
 gitationum, & hypothesisum diei instar habet.  
 Quapropter sit ita: textat ultra quoque Clio  
 candente graphio res gestas, loquatur licet in  
 quavis periodo apocalypseos suæ de cossi-  
 bus & erroribus insidiis plenæ vitæ, & ma-  
 terna voce præmoneat! elegans & animum  
 commovens oratio ejus censebitur, at prima  
 occasione velut ex quodam instinctu ab eo re-  
 cedetur, & in alia omnia abibitur quamvis  
 falsa & erronea; hoc est: in *illud* animus ab-

ripitur, hoc arripit, bonamque Deam continua manet molestia: res, quæ ad tædium usque legibiles, vasto suo Diario inserendi. Hac ratione generatio generationem in migratione ex hoc orbe excipit, & quævis in finelitrum vitæ æque grave, æque carum persolvit, quam priores.

Nos vero: dilecti fratres! bene prudenterque ædari sumus, si rem hanc, (ut ut mira adpareat,) eximia elegantia bonitatisque reputerimus; quod aliter non sit. *Fides*, quamontes non transferuntur quidem, quæ nihilominus pro pharmaco domestico adversus civiliter humana mala sæpenumero commendanda est, egregiamque operam præstat, dum de eo agitur: ut inquieti, cor & vitam vexantes genii subito & leviore sumtu mitigentur, metusque omnis generis exterminetur, qui plerumque gravior, vehementiorque esse affolet, quam ipsæ res, quæ metuuntur.

Propediem problema: *Bellumne est, an pax?* resolutum cernemus; adæque adiutorum is status est, ut mente assequi nihil prorsus possimus.

Interea utriusque exercitus situs ex tempore Induciarum admodum mutati sunt, Primarius Austriacus exercitus non in Bohemia, verum secundum Arrabonem, Comaromio nixus, concentratus est. Gallicus quoque exercitus plurima parte trans Danubium se contulit; aliquot solum agmina lineam Induciarum occupatam tenent. Copiæ ex Bohemia & Moravia plurimum eo concessere, Gen.

Dux *Gyulay* valido cum agmine in Croatia, quæ omnis armata, consistit. In Bohemia & Moravia, Olomucio Pragam usque, agmen 50000 armatorum sub imperio Archi Ducis Ferdinandi maximam provincialis militiæ partem sibi associat. Contra *Lipsia* scribitur: Gen. Carra S. Cyri Dresdam adpulisse, imperium in Saxonicas copias aditurum, præterea binis Gallicis agminibus, cunctisque Vestphalicis copiis præfuturum. Dresda ad defensionis statum ponitur, jam jam Saxonica res tormentaria, quæ securitatis ergo Magdeburgum translata, eo deducta est.

Nova opera, quæ ex tempore Induciarum omnes Danubii pontes muniunt, accessum ad metropolem impossibilem reddunt. Singularis admirationis sunt triplicia munimenta quæ postem Taborensem defendunt. Legatio Statuum Moraviæ Episcopo Principe præeunte, Vindobonam adpulit, probabiliter relaxationem quotæ Contributionalis bellicæ exortura. Milites toto Augusti mense præter portiones vini, & aceti vinacei obtinent.

Sub his adjunctis de pace tractatur — necdum constat, quam actionem Russia in hoc negotio iutura sit, difficultates vero subversari, prociuum est assequi. Interim adhuc spe tenemur, at metus hanc spem comitatur. —

Bellum maritimum ad Scaldim quod attinget: *Antverpia die 17. Aug.* scribitur: Principem de Ponte Corvo munimenta lustrasse, copias obtivisse, pluresque novas operas pæcepisse; Occasione obsidionis *Vlietings*, quæ

continuatur, Angli ita dictas *Congreventes* *Rachetas* quoque adhibent. Vires eorum in Insula Walohria ad 15—18000 armatorum aestimantur. Plures tormentariæ naves inter Brekens & Vliessingam consistunt. Binæ Anglicanæ Fregatæ cum multis minoribus navigis, non obstante vehemente ex munimentis oræ ejectione igne, Scaldim ascenderunt, usque fortalitium Batz adpulerunt, ubi Gallicam & Hollandicam Classiculam apprehenderunt, quam præsens usque tamen serio adgredi ausæ non sunt.

Memoratu dignum: quanta præcautio e Gallicum regimen feratur. Pagina Parisinæ de defectu nationalium turmarum de 20. Aug. in Gallia hæc continent:

Monitor hodie memorat: nocte inter 15 & 16 hujus, 6 Anglos ad Fecamp comprehensos esse, qui mandatum habebant oram explorandi, & libellos famosos in vulgus spargendi. Eadem pagina vulgat litteras Generalis interimalis Ministri Politicæ ad Profectos Urbis Parisinæ seqv. tenoris: Domine Præfecte! — Pace Tilsitensi confecta, Angli, quorum vires, bello in Continente cessante, concidunt, Hafniam delendam deovere, hodie, cum Austria in procinctu est, pacem a victore obtinendi, iidem Vliessingam flammis delere volunt, globis ignitis suis, Antverpiæ, cujus nuper admodum adhuc desolatæ oræ ad vocem nostri Imperatoris protinus Classes oriri videntur Angloanis Cladem parantes, imminet. Universa Gallia proprio motu ad earum de-

fensionem advolaret, at nobilis hæc pro patria effervescentia æquiformi moderatione opus habet ut prosit. Quantæ Napoleonis subsidiariæ copię esse possunt? quæritant ministri Londinenses. Respondere iis potest: Exercitum hunc citato suo itinere opplere quasvis vias Parisiis Antverpiam usque; licet iis procuratores suos expedire, qui eum legant, sciant nec unum militem vexillum Napoleonis deserturum, territorium patrium defensurum; quis Gallus arma detrectaret, cum hostis Galliæ fines ingreditur? an exercitus Gallici non sunt turmæ nationales, & vicissim cohortes non sunt exercitus? singuli pugnant pro emolumento & gloria universorum. Anglica temeritas trophæa solum augere valet, quæ solennia pacis exornabunt, & magnifica, pro æde Tuillarum erecta triumphalis porta, omnem Galliam ovantem se subeuntem conspiciet. Domine Præfecte! — gloria hujus metropoleos Imperii cum primis Dominationi cordi esse debet. Sæpenumero hostes nostri alacritatis, seditionis solum tempore, arguerunt Dominationem tuam; velox, fervida & regularis motio calumnias hostium eodem refellat tempore, & eorum nefarias spes! In oriente & occasu Gallia in distantia 200 horarum victoriosa est, ea quoque domus victrix futura est, ne ulla gloriæ species disideretur &c. (adnectuntur diversa mandata erigendæ Parisinæ nationalis Cohortis.)

*Amstelodamo die 19. Aug. Sua Regia Maj. nocte inter 17 & 18 mihic adpulsi. Gallicus*

Antverpiæ exercitus imperio nunc subest Principis de Ponte Corvo, est is conspicuus, & quotidie suppetiis augetur.

Sua Majestas Mareschallum *Dumonceau* imperio exercitus Brabantini præfecit, qui Bergæ ad Somnam primarium habet hospitium. Exercitus hic destinatus est ut concordi opera Principis de Ponte Corvo consilia adjuvet, provinciamque Brabantiam tueatur. Agmen Gen. Ducis *Travers* Helderam tuetur usque adventam Gen. Ducis *Grazien*. Gen. Dux *Tarrayre* Gubernator militaris in vicem ægro-tantis Gen. D. *Vichery* creatus est.

Rumor sparsus de dedita Vlissinga vanus est. Officiose constat ex nunciis priore nocte perceptis: arcem hanc usque 16 hujus horam 4 pomerid. semet defendisse.

Jam & apud nos *Diaris*, seu officiosæ relationes de belliosis eventis eduntur. Duo eorum habentur; en argumentum primi!

*Capella die 15. Aug.* Dimidia Gallici & Hollandici exercitus pars hodie mane ad *Zandvliet* se conjunxit; altera dimidia lineis contenta manet. Sua Maj. Copias revidit, lustravit que in gratiam natalis Imp. Undique personabat identidem fausta acclamatio. Communi Enthusiasmo rex vocem suam adjunxit. Copiæ duplo stipendio donatæ, heri vesperi tormentorum salutationes solennia indicarunt, hodie rex comitibus Generalibus utriusque nationis Ducibus *Stabrokii* templum ingressus in quo hymnus Ambros. decantatus. Vesperi frequens apud regem congressus erat.